

P V I S



1 6 0 3

LIX.

EPITHALAMION

PIO ET HONE

STO IUVENI GREGORIO

BROTMANNO, GREGORII SENATORIS REIPVB:

Ceruestensis, defuncti filio: & pudicæ virgini Marga-

retæ, filia D. Matthia Zanderi, ornatissimi

& prudentissimi in eadem Vrbe

Scabini, scriptum

A

VOLFGANGO SLEIFERO

Ceruestensi.



WITEBERGÆ

EXCVDEBAT IOHANNES

CRATO.

ANNO M. D. LXV.

58.

ci.

73



III
EPITHALAMION.

IMprobe vesanis armate Cupido sagittis,
Qui fœdum turpi de patre stemma trahis:
Qui flamma vetitos, sine lege, libidinis æstus
Deditus illecebris, matre iubente, foves:
I procul ad tædas haud inuitate iugales,
Crimina castus enim spurca repellit amor.
Ad genitricis abi fœdissima regna proterua,
Fallacisq; ferum perfice mentis opus.
Torqueat obscœnos ibi flamma perennis amantes,
Quæ tua mersa lacu regna, Gomorrha, cremat.
Iungitur hîc liciti sacratum fœdus amoris,
Non habet hîc vllum tetra libido locum.
Caste Cupido, sacri iustiq; pudoris alumne,
Ad noua connubij festa rogate veni.
Tu, referente modum cœlesti Rege, lacertis
Excuties arcus spicula sancta tui.
Tu, cum virgo mari socio se fœdere neçtit,
Efficis, augeſcat castus vtring; calor.
Accelerans operamq; tuam studiumq; locabis,
Quorum sunt stabili pectora iuncta fide.
Sed neq; duntaxat, quô promas munus, adesto,
Forsan & hîc, gratum quod tibi fiet, erit.
Terpsichore tua plectra, chelyn, citharamq; parabis,
Diurno dabimus cantica digna thoro.

Gre.

Gregorius thalamum, sanctæ virtutis amator,
Virgoq; stirpe bona Margaris orta, petunt.
Elegere statum, quo non est sanctior alter,
Numine terricolis prospiciente, datus.
Hunc caueas tumido, quicumq; es, spernere vultu,
Vindicis ad pœnas ne rapiare Dei.
Iste Creatoris, post mundi totius ortum,
Præ cunctis alijs ordo secundus erat.
Ridebant pictis vernantes floribus horti,
Spirabat Zephyri tum leuis aura noui.
Quod nihil antè fuit iam primùm cœperat esse,
Lustrabat primo lumine Phœbus humum.
Astra polum, tener arua frutex ornabat amœna,
Lætus erat factis Conditor ipse bonis.
Suauibus implebant puras concentibus auras
Certatim pennæ versicoloris aues.
Porrecto per aquas natitabant tergores pisces,
In viridi errabant cætera bruta solo.
Ast homo diuinæ deerat virtutis imago,
Plasmate nobilior quolibet ille fuit.
Archetypi melius sancti quia numina nossent,
Dona Creatoris concelebretq; sui.
Qui præstans alijs anima viuente per æuum
Iura daret, valida cuncta domando manu.
Hunc ubi condiderat Deus & præfecerat orbi,
Nominibus iussit quæq; notare suis.

A ij Sed

Sed quia nullus Adæ sociusq̄, comesq̄, laborum
Esset, & auxilium ferre pararet ei:
Quando, hominem dulci sine coniuge viuere solum
Haud bene, sensisset prouida cura Dei:
Somne veni, dixit, caput irrorabis Adami,
Suauior ut teneat membra rigata quies.
Mox paret monitis Somnus, frondesq̄, madentes
Occiput ignari circiter addit Adæ.
Nec mora, ceu magnis exercitus æstibus esset,
Illius incesit tantus in ossa sopor.
Quem neq̄, discutiât strepitus sonitusq̄, ferarum,
Vndiq̄, quæ magni transfilière greges.
Dumq̄, graui iacuit totus torpore sepultus,
De medio costam pectore demit Adæ.
Sed quo costa loco fuerat prius eruta, carne
Repleuit tenerum consolidante latus.
Hinc ab Adæ membris desumto prodiit osse
Fæmina, materiam sic operante Deo.
Qui mandata dedit iusso iam munere functus
Somnus ut effugiat, Virgo propinquet Adæ.
Hæc ita cum fierent, oculosq̄, aperiret Adamus,
Nec procul à facie pulchra puella foret:
Ecce verecundæ correptus imagine formæ
Mox tellure caput de viridante leuat.
Plenius utq̄, genas vidit faciemq̄, decoram,
Surgit, ab amplexu vix retinetq̄, manus.

Huius

Huius ab offe meo sunt condita virginis ossa,
Quam videoq̄, mea est carne creata caro.
Sic, quia carne viri primūm fuit orta, virago
Illius æterno tempore nomen erit.
Hinc igitur patremq̄, suum matremq̄, relinquet,
Coniugis & socio corde fruetur homo.
Et duo iungentur carnem vir & vxor in vnam,
Alter & alterius dulce leuamen erit.
Sic ait, atq̄, Deo præsentia dicta probante,
Auxerunt hominum se sociando genus.
Hanc se velle opifex rerum defendere vitam,
Estq̄, augere sua pollicitatus ope.
Sicut & exornans regali munere Christus
Hanc satus æterno de genitore probat.
Quando Palestinæ Canam delatus in urbem
Ad celebranda thori festa vocatus erat.
Quale sit hoc forsā rogitas, num diuitis auri
Copia, an humana dona parata manu?
An liquor è Cereris decoctus frugibus, anné
Dulcior, in celsis quem parit vna iugis?
Sunt ea magna quidem: longè at præstantius istis,
Mirariq̄, satis quod nequit vllus homo.
Hic etenim, dum tota domus completa fuisset
Hospitibus sponsi, sepositaq̄, dapes:
Defuit (heu nimium maturo tempore) Bacchus,
Nec, quod conuiuas exhilararet, erat.

Consilium

Consilium pariter quando cœpère, Liæum
Vnde parent, Christum mater idemq̄ rogat:
En sex, ter senas, capientia vasa metretas
Impleri puris iussit Iesus aquis.
Hæc vbi tædarum famuli vix hausta replêrant,
Reddidit vndarum dulcia vina sapor.
Quæ longè à sponsis latices vicere cœmtos,
Et meliora quibus non ea terra tulit.
Hinc igitur sponsiq̄ noui, populus q̄ vocatus,
Mirati tantum sunt Deitatis opus.
Insuper hæc hilari sumserunt munera corde,
Dum sacra coniugij sunt celebrata noui.
Consortesq̄ thori iuncti modò fœdere multos
Viuerè reliquijs his potuere dies.
Tanta Deo fuerant hymeneia vincula cura,
Cœlesti vt præsens ipsa iuuaret ope.
Has igitur tua, Christe, itidem præsentia tædas,
Et pater, & flamen prouehat, oro, sacrum.
Nunc mihi, virginei flos intemerate pudoris,
Margaris officij sponsa monenda fores:
Ni tua de sacris didicisses munia libris,
Ipsa quibus magna sedulitate studes.
Aut pietas materna tuas celauerit aures,
Nec tua cura tibi concio sacra daret.
Inde tenes, qua lege tuo iungere marito,
Inde tenes, quàm sint vincula sancta thori.

Hos

Hos igitur serua nexus, sociumq; cubilis
Coniunctæ æterno fœdere mentis ama.
Quamq; feret sortem vir, eandem ferre memento,
Tuq; leues curas illius, ille tuas.
Ipse maritali præeat tibi dignus honore,
Namq; tuum est Christo constituenta caput.
Siq; latet coniunx quis sit tibi, sponsa, futurus,
Hoc etiam breuiter commemorare libet:
Patre Senatore est natus, qui plurima prudens
In commune vrbis lustra vacauit opus.
Gregorij sponsus nomen genitoris adeptus
Ingenium præstans cum pietate tenet.
Aq; viris hausit doctis monitoribus artes,
Quarum præsidio nemo carere potest.
Hinc merces cœpit monitis tractare parentum,
Diuersi domini subiacuitq; iugo.
Pertulit hic solis varios, & frigoris, æstus,
Annis durauit pluribus iste labor.
Donec, vbi licuit proprijs se credere rebus,
Instituit merces ipse parare sibi.
Illius illa, Deo mediante, vocatio vitæ est,
Quam colit, humano proffit, vt inde choro,
Inde domum matris fuit altera cura iuuandi,
Quam viduam morbis tarda senectâ premit.
Margaris, hunc tibi, sponsa, virum pia fata tulere,
Quem meritò, fuerit dum tibi vita, coles.

Tu

Tu quoq; sponse tuo sponsam amplecteris amore,
Quæ trahit à celebri stirpe creata genus.
Namq; Senatorum, genitor selectus aceruo
Iura Scabinatus prouidus æqua fouet.
Dotibus ingenij est præstans, pietatis amatrix,
Palladis & studio matris, in arte valet.
Singula quid referam: velut eius dignus honore es,
Haud aliter digna est sponsa fauore tuo.
Sed patres adsunt per tympana pulsa vocati,
Et iuuenes, Nymphae, femineusq; chorus.
Mentibus ite pares ambo, virtutibus ambo,
Sponsi, iam templi ianua lata patet.
Vos ibi verba sacer Mystes diuina docebit,
Hic qua seruandus sit ratione status.
Ardentesq; preces Christo fundetis vterq;
Fortunet vestrum, iam quod agatis, opus.
Hæc iunctum casta quoq; mente precabitur agmen,
Audiet in Christo vota peracta Deus.
Sic, sine lite, thori socium seruetis amorem,
Iunctaq; sint firma pectora vestra fide.
Sic crescant vestro felicia pignora lecto,
Christicolium maior fiat vt inde chorus.
Sic vatis peragat Cumæe Margariseuum,
Gregorius Pylly secula longa senis.

F I N I S.

Jf 4600


ULB Halle 3
003 299 04X



sb.

V077





B.I.G.

Farbkarte #13

LIX.

HALAMION

T HONE

ENI GREGORIO

REGORII, SENATORIS REIPVB:

ti filio: & pudicæ virgini Margas

Matthiæ Zanderi, ornatissimi

entissimi in eadem vrbe

cabini, scriptum

A

NGO SLEIFERO

Ceruestensi.



EBERGÆ

AT IOHANNES

RATO.

M. D. LXV.

58.

ci.

73

